



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 27. in lucriones, quos vulgò interessatos vocant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

manifestè alienos à Christo, Christo, non comunicantibus, vel tãquam socios Judæ, in quem intravit sathanas post buccellam.

Vos ergo charissimi si con- furrexistis cum Christo; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & vos in novitate vitæ ambuletis: ut à sæculari lætitia & consolatione mundi per compunctionem & tristitiam, quæ secundum Deum est, ad devotio-

nem sanctam, & spiritualement vos transire gaudeatis exultationam: ipso præstante, qui transivit ex hoc mundo ad patrem, & nos quoque trahere post se, & in Galilæam vocare dignatur, ut semetipsum nobis ostendat, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula Am.

* * *
* *
*

PHILIPPICA XXVII.

In Lucriones.

QVOS VULGO INTERESSATOS VOCANT
DOMINICA EADEM.

Nolite expavescere, Jesum quæritis Nazarenum Crucifixum
Matth. 16. v. 6.

S. I.
Cupiditas
lucris ferè
omnibus
comunitis



Andem aliquando in paschate invenio, quos per totum frustra inquiseram annum, homines, qui IESUM, & non se

quærent, propter IESUM potius quàm Lazarum accurrerent, benevolentia & non concupiscentia ferrentur affectu. Mulieres enim audio angelico commendari testimonio, quòd Iesum quærant, ungendoque sacro corpori aromata apportent, nullius cupidine lucris, solius amore Magistri; cum tamen de omnibus pronuntiet generatim

Philipp. 2.
v. 21.

Apostolus: *omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* omnes ergo Christiani pariter ac Ethnici, Religiosi simul & Laici, sacri profanique lucro proprio inhiant: *omnes quæ sua sunt quærunt.* ergo neque pontifices & reges, sapientes & theolo-

gici ab hac cupiditate eximij? *omnes quæ sua sunt quærunt.* ergo & tu Apostole lucrum tuum inquiris? quæreres, reponit, si ego mihi viverem, sed *vi-vo ego jam non ego, vivit verò in me Christus,* qui gratis per gratiam justificavit me, & docuit redamare gratis. Qui gratis amat, angelico dignissimus est solatio: *Nolite expavescere Iesum quæritis Nazarenum Crucifixum.* hæc enim summa est charitatis *amare gratis.* Qui sic amant, verissimum cum Iesu pascha celebrant & cum Paulo dicere habent: *vi-vo ego jam non ego.* Qui sic amant, gloriosam expectent anastasin, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem. Verum quia gratis amantium rarissimus in terris est numerus, innumera verò eorum ubivis turba, qui quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi, contra hos festivissimâ
T hac

hac luce agere institui, cum ipsam hanc lucem turbare connisi sint improbi lucriones, qui pecuniâ corrupti judaicâ sparserunt in vulgus: quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum. Matth. 28. v. 13.

S. 2.
Cupiditas
lucris est
mater discor-
diantium.

Nullum est vitium, quod in rempublicam plures inducat calamitates, quam lucris proprii cupiditas. Cor unum & anima una primis Christianis erat, quia de proprio emolumento nihil scire volebant. hanc præcipuam primæ concordie causam Lucas assignat: multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una. Act. 4. unde hoc ò Evangelista? nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, ibi conjunctio, ubi lucris proprii abnegatio. ecce ubi non erat diversitas rerum, exclamat Petrus Damian. l. 1. ep. 16. vigeat unitas voluntatum. Nimirum ubi non est divisio census, in unione charitatis plurimarum mentium constat affectus. illic enim mens à mente dividitur, ubi facultatum communio non tenetur, ubi possessionum diversa proprietas, ibi mens possidentium non est una. hæc Cardinalis. certè experientia quotidiana confirmat disjungi eos per lucris proprii quæstum, quos artificimè natura conjunxerat. Ad fratris sui filium ajebat Abraham: ecce univèrsa terra coram te est, recede à me obsecro; si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam Gen. 13. quæ tantæ separationis origo? nè sit jurgium inter me & te, inter pastores meos & pastores tuos. en proprii lucris cupiditas discordiarum omnium non tantum occasio sed origo. eleganter Chrysostomus hom. 33. in Gen. antea erat pax charitatis vinculum, nunc rixa & contentio. ubi enim meum ac tuum illic omnium litium genus & conten-

tionis causa; ubi autem hæc non sunt, ibi securâ versatur pax & concordia. rumpere hanc unitatem inter primos Christianos volebant Ananias & Saphira, sed subitanè prius morte percussi atque disrupti sunt. Nullum non vinculum naturæ rumpit maledicta lucris proprii cupiditas, quod vinculum arctius quam inter Magistrum & Discipulum, inter Deum & creaturam, inter Iesum & Judam: de hoc ajebat Dominus: unanimes meus, dux meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos ps. 54. hanc tamen unanimitatem lucris cupiditas disruptit, unde infert Petrus Damiani cit. quisquis proprietatis conatur habere peculium, non valet Apostolorum tenere vestigia, quia non erit illi cum fratribus cor unum & anima una. Cum Juda siquidem oculos atque pecuniam habere potest, unanimitatem, puramque concordiam cum Apostolis habere non potest.

Quæstores ejusmodi ab Apostolo describuntur ad Tit. 1. univèrsas domos subvertunt docentes, quæ non oportet, turpis lucris gratiâ quid doceant lucriones tales ex Tacito scio: nihil injustum quod fructuosum, prius utile postea honestum, privatis publica cedant. circumvenire, solertia vocatur, mentiri urbanitas, omnes fallere prudentia, nulli fidere providentia, omnes suspectos habere securitas, nulli animum recludere sapientia, omnibus detrahere generositas, maledicere omnibus fortitudo, omnia spondere nihil largiri aulica comitas, alieno thoro, & pudicitie insidiari genus quoddam elegantie, comòdis suis quacunque viâ etiam cum amicorum everfione pauperum opprefione, innocentium damnatione, studere viri est ad rempublicam nati; privata publicis antepone, adeoque hæc evertere, ut tua evahas, industria, univèrsas domos, ref-

S. 3.
Discamina
interessa-
torum &
exinde
proman-
tia damna.

Scriban. in
Christo
patient.

Apoc. 12.
v. 7.

respublicas, regna suis hiscè axiomatis subvertunt. quid pacem in coelo disturbavit? quid bellum intestinum excivit? *factum est praelium magnum in caelo, Michael & Angeli ejus praeliabantur cum dracone, & draco pugnavat & Angeli ejus.* potuit tantæ domûs pax turbari, dum proprii lucri studium pulcherrimi cor angeli occupavit. Audiam Bernardum de grad. humilit: hæc Lucifero improperantem: *dum tu solus sedere affectas, fratrum concordiam, totius cœlestis patriæ pacem, ipsius quantum in te est quietem Trinitatis infestas.* hi sunt certissimi fructus cupiditatis, hic questus interessorum, ut pacem turbent, deitatem infestent, domos subvertant. Monet proinde D. Nilus in Ascetic. *ad virtutem tendentibus magno est impedimento rerum affectio terrenarum, animoque ac sæpe etiam corpori perniciem affert.* Quid duas & dimidiam tribus extra promissionem manere fecit (tribum videlicet Ruben, Gad, & Manasse de quibus Josue 22. *reversique sunt & abierunt, filij Ruben & filij Gad & dimidia tribus Manasse à filiis Israël*) quid Loth ab Abraham separavit? quid Pharaonem tot plagis affecit & in fundo maris rubri denique merfit? quid Saulem regno indignû reddidit, & posteritatem ej' ad incitas redegit? quid regnû Roboam discidit, & totâ promissionis terram non lacte & melle, sed sanguine & felle manare fecit? quid authorem vitæ patibulo crucis addixit, nisi proprii questus cupiditas, & maledictum illud verbum: *expedit nobis.*

Hæc eadem pestis etiamnum implet cœmeteria funeribus, nosocomia pauperibus, domos pupillis, curias sceleribus, cœnobîa dissensionibus, Christianitatem dedecore, orbem sanguine, infernum animabus. Observavit Ethnicus Ci-

cero l. 3. offic. Socratem eos merito execrari solere, qui primû utile & honestum naturâ cohærentia, opinione distraxerunt, quâ nulla major perniciës humano generi potuit afferi, non domos tantum subvertunt, sed totam humanam naturam pervertere nituntur, qui turpis lucri gratiâ susdèque habent omnia; pergit itaque Cicero, & convictus humani eversores homicidis deteriores, tyrannis truculentiores appellat proprio questui deditos: *hominem hominis incommodo suum augere comodû magis est contra naturâ, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cetera, quæ possunt aut corpori accidere aut rebus externis. nam impietatis tollit convictum humanum & societatem; si enim scierimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliaret aut violet alterum, dirumpi necesse est eam, quæ maximè est secundum naturam, humani generis societatem. ut si unum quodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad traduxisset, debilitari totum corpus necesse est.* hucusque sensatissimè Tullius, ejusdem sensus sapientissimus Seneca fuit, qui non dubitat belluis deteriores dicere *interessatos*, ferarum iste conventus est, nisi quòd illæ inter se placidæ sunt, morsuque similium abstinent; hi mutuâ laceratione fatiantur. Hoc uno ab animantibus brutis differunt, quòd illa mansescunt alentibus, horum rabies ipsos, à quibus est nutrita, depascitur, ità Cordubensis philosophi l. 2. de ira c. 8. Verum dum depascuntur alios, ut se suosque nutrant, & ex alienis damnis questus suos facere cogitât, nihil minùs quàm questû, sed certissimum faciunt dispendium.

Euripidis celebre dictum erat: non probo illas opes, quæ facilius delentur à Deo, quàm scribantur.

T 2

S. 4.
Nimia
proprii
lucri cupi-
ditas cer-

tissimum
est dispen-
dium.

tales opes fuere Gerazenorum porci, in quos mitti postulabat legio dæmonum, quia contra legem Dei alebantur. naves Tharsis in spiritu vehementi conterendæ dicuntur ps. 47. v. 6. quia, ut loquitur D. Gregorius Nyss. erant *innatans vitiositas*, quidquid autem vitiosè acquiritur, stabile esse ac diuturnum non potest. pretium divenditi Christi in Corbonam mitti non potuit, quia pretium sanguinis fuit Matth. 27. v. 6. pro sola sepultura valent pecuniæ iniquo lucro partæ. Ingeniosè de avaris dixit David *catuli leonum rugientes, ut rapiant* Et *querant à Deo escam sibi* ps. 103. v. 21. rapiunt prius, postea quærunt escam, quia rapina ad famem & incitas eos redigit; vix rapiunt, & mox perdunt. *Benjamin lupus rapax manè comedet præadam* Et *vespere dividet spolia* Gen. 45. v. 27. Cur præadam ipse non comedit vesperi, sed dividit? an non esurit amplius? an regij animi lupus est, ut dividat sicut leo & aquila? respondet Oleaster: *commune est, ut raptores brevi tempore possideant, quæ rapuerunt.* comparat ejusmodi raptores tinea patientissimus regum: *ædificavit sicut tinea domum suam, Et sicut custos fecit umbraculum* Job. 27. v. 18., sicut tinea (verba Lyrani) ,, rodendo vestem facit sibi domun-,, culam suam, sic avarus ex alieno,, damno facit lucrum suum; sed,, cum vestis excutitur, tinea de do-,, mo sua ejicitur; sic talis ejicitur,, de domibus suis, quas ædificavit,, cum labore & expensis. corrodit vestem tinea, ut sibi mansionem pareret, sed diuturna non potest esse mansio, cum vestis sit corrosa. unde subditur: *Et sic ut custos fecit umbraculū;* brevi enim tempore durant in hortis aut agris umbracula donec fructus colligantur, per hye-

mem non servantur. Jobo consentit Siracides c. 21. v. 9. *qui ædificat domum suam impendijs alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme,* hoc est interprete Lyrano: sicut ædificium in hyeme non solet esse stabile, sic domus per rapinam ædificata. Septuaginta legunt: *qui ædificant domum suam impendijs alienis, quasi qui colligit lapides ad sui sepulchri tumulum.* sepulchrum sibi parat, qui lucrum iniquum apparat. Nidum vocat Abdias omne palatium, omne peculium, omne gazophylacium titulo non bono collectum: *si inter sidera posueris nidum tuum inde detraham te* Abdias 1. v. 4. pulchrè nidum ponere dicuntur inter sidera (verba Riberæ) quia ut maximè laborant pro firma sibi & quieta vitæ suæ securitate quærenda, nidus tamen est, quem construunt, fœno & stipulis constat, magno labore confectus est, sed minimo dissolvitur. Inter sidera habitare Adam voluit, dum commodo proprio nimium intentus voluit esse *sicut Dij*, sed quid affectus est? *cogno-verunt se esse nudos* Gen. 3. v. 7. nuditatem mercatus est, qui divinitatem ambivit: sed quis indicavit tibi, quod nudus esses? respondet Rupertus: *hæc ipsa scientia, quæ nudum te esse perspexisti, culpa est, quia rapina est.* bene rapina cum nuditate conjungitur, quia nihil certius, quàm quod ad nuditatem redigatur, qui rapinam sectatur. non tegunt, sed detegunt; non ditant, sed depauperant; non ornant, sed prostituunt; non profunt, sed obsunt divitiæ de Mammona iniquitatis partæ. manet, æternumque manebit, irrevocabilis in *interessatum* quemlibet sententia, quæ in Simonem Magum primitus est fulminata: *pecunia tua tecum sit in perditionem.*

Digna scitu quæstio est, quis pri-

A. 3. v.
20.

S. 5.
Primus

damnato-
rum fuit
lucio.

primus ex tota humani generis mas-
sa viam inferni triverit, cui primò
valvæ orci sint apertæ, & quam ob
causam? an atheus fuit, an idolo-
latra, an blasphemus? an adulter, an
perjurus, an ebriofus, an superbus?
audiamus iudicium M. Gregorij I.
I. moral. c. 3. qui omnibus conside-
ratis censet Lucrionem fuisse, qui
statuit oculos suos declinare in ter-
ram. Cain ille fuit, qui primus æ-
dificavit civitatem, ut se stabiliret
in terra nihili pensans cœlestia: *ipse qui primus in terra fundamentum
posuit, à soliditate cœlestis patriæ alienus fuit.* Peccavit quidem Cain
alijs peccatis, invidiâ, irâ, homici-
dio, desperatione, sed horum sce-
lerum radix fuit lucri cupiditas, i-
tâ ut verè dicatur: *radix omnium
malorum* I. Tim. 6. v. 10. nec pullu-
lâssent mala cætera, nisi radix ista
præcessisset; turpis enim lucri gra-
tiâ in sacrificio suo Cain deteriora
obtulit, ut observavit D. Ambrosius,
ideoque propitium Numinis oculo
non promeruit. *Væ illis qui in
via Cain abiêrunt & errore Balaam
mercede effusi sunt,* ait S. Thaddæus
v. II. via Cain est cupiditas, *regia ad
infernum via*, à qua revocare gra-
dum, turpémque relinquere quæ-
stum, hic labor hoc opus est. Ma-
gnum miraculum omnipotentiae
divinae fuit, quando aquas maris
rubri divisit, ut sicco pede transi-
erint Israëlitæ, stantibus utrinque
fluctibus, velut solidis de adaman-
te montibus. sed fortè majus fuisset
prodigium, si totus populus ip-
sas undas calcâssent, non in fun-
do, sed in superficie transiens, si-
cut Petrus undas calcavit; Franci-
scus Paulanus, aliique: Cur Pe-
trus ambulat super aquas & non
populus? ille paupertate levis fuit,
qui dicere potuit, *ecce nos reliqui-
mus omnia*, facilè proinde aqua Pe-
trum sustinuit; at verò populus spo-

lijs ægyptijs gravis erat: *petiêrunt
ab ægyptiis vasa argentea & aurea*
Exod. 3. v. 22. onultos tanto pon-
dere sustentare noluisse aquæ. i-
tâ Petrus Dam. Ser. de S. Petro: *Cur
filii Israël in profundo maris, Petrus
verò supra mare graditur? quia Pe-
trus reliquit omnia, illi auri & argen-
ti pondere pressi ab aquis sustineri non
poterant.* at non itâ Hebræos lucri
cupiditas gravavit sicut ægyptios
persecutores, qui dum sequuntur
fugitivos, & repe ere sua fatagunt,
submersi sūt sicut plumbū in aquis.

Luc. 16. depingitur Epulo, qui
par Lucullo vestiebatur purpurâ,
nescio è quo morbo (*regius fuerit*)
decedens mox sepelitur in inferno,
itâ ut inter mortem & sepulturam
vix momentum intercesserit. To-
tus est Augustinus in speculatione,
cur tam citò sepultus? quod peric-
ulum in mora? & excogitat dignam
capite suo sententiam? *quia hic pe-
cuniarum pondere oppressus & velocius
descenderat, quàm ut venisse diceretur*
ser. 15. de verbis Domini. *O quan-
tum gravat avaritia, quæ facit ho-
minem cadere* (non descendere) *in
profundum* S. Antonius Pad. Ser. 3.
Dominicæ 2. quadrag. sic mergun-
tur avaritiæ pondere pressi. sapi-
enter Philosophus gentilis: *mergo
nè mergar.* Sapientius monet D.
Chrysologus ser. 22. *Mitte & præ-
mitte thesaurum tuum in cœlo, nè
cœlestem animam demergat in terram,*
imò in terræ centrum, & tormen-
torum Abyssum: *Tollite divitias, &
infernus non erit* S. August. ser. 31. ad
Fratres in eremo.

Consideratu digna sunt illa
Christi verba Joan. 16. *Venit hora, ut
dispersamini unusquisque in propria
& me solum relinquatis.* ille Christum
deserit, qui sua quærit, prout ver-
ba Christi explicat S. Sixtus Papa I.
de divitijs: *ad sua redire non possunt,
nisi cum Dominum derelinquant; un-*
T 3 de

§. 6.

Lucriones
apostatant
à Christo

de intelligere datur, sequentium esse sua contemnere; ad sua remeare vel- le, deserentium. Qui autem sic Ie- sum deserunt, nullam cum eo par- tem sperent, juxta observationem D. Hieronymi in ps. 72. epist. ad Ne- potian. *qui dominum possidet & cum propheta dicit; pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præ- ter Dominum, pars ejus non erit Do- minus.* non de religiosis, sed de om- nibus Christianis hæc intelligit Hieronymus, ita ut nemo bonis u- tatur tanquam suis, sed tanquam- fidelis dispensator supremi Domi- ni bonis, adeo ut etiam in elargien- dis eleemosynis (inquit doctissimus Baëza in c. 16. Joannis tomo 4. l. 14. c. 23.) malit videri distribuere aliena, quam propria. Consentit per omnia Hieronymo Bernardus psal- mum eundem interpretatus: quid mihi est in cælo, aut à te quid vo- lui super terram? *defecit caro mea & cor meum Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* in quæ verba sic commentatur ser. de diversis affe- ctibus animæ: *neque enim suum a- liquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quicquam tanquam priva- to sui ipsius amore desideret anima, quæ hujusmodi est, sed tota pergat in Deum, ut ipsi adhaereat, ipso frua- tur.* sic in Deum perrexit inclytus Martyr Ignatius, qui cum Romam ad martyrium duceretur, in prævia ad Romanos epistola gloriatur: *nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur, desiderans, ut Ie- sum Christum inveniam.* quid hoc o fortissime Athleta, nunc primum Christi discipulus? annon tunc di- vinum agnovisti Magistrum, cum à Paulo conversus, baptizatusque no- men Christo dedisti? an non tunc discipulorum unus, cum à Joanne Apostolo plenius eruditus & Dei- paræ Virginis aspectu recreatus,

ps. 72. v. 26.

mira dares consummatae virtutis specimina? *nunc incipio Christi esse Discipulus!* non se discipuli nomi- ne dignum censet Ignatius, quam- diu proprii in se commodi, quan- tulumcunque advertit affectum, donec omni penitus abnegato, so- lius Iesu Christi gloriam omnimo- dè desideraret. non æstimet se Chri- stiani nomine dignum, qui pro- prium in omnibus spectat, deside- ratque emolumentum.

Monet proinde Apostolus, ut verba ejus interpretantur D. Augu- stinus & D. Thomas: *nè sua quisque spectetis, sed unusquisque, quæ sunt alienorum.* is enim affectus fit in vo- bis, qui fuit in Christo Iesu, qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Monemur hinc inquit, Anselmus, ut sicut ille, ita & nos ad ejus imitatio- nem non nostram utilitatem, sed aliorum quæramus. Soli confertur Christus Malach. 4. v. 2. *orientur vobis sol justitiæ,* de quo S. Ambrosi- us l. 2. offic. c. 28. *magnus itaque ju- stitiæ splendor, qui alijs potius nasci- tur, quam sibi.* Solem (Christum) sua sidera nōrunt, & imitatione sedulâ sequuntur, aliorum potius com- modis, quam suis intenti, & hoc est cum pijs mulieribus Iesum Nazare- num feliciter quærere & in floribus invenire; hoc est cum Iesu glo- riosè resurgere, qui sicut mortuus est propter peccata nostra, ita resur- rexit propter justificationē nostrā; vixit ac revixit non sibi, sed nobis, quos charitate nimia dilexit, licet odio haberetur gratis. pulchra est illa Gregorij Magni observatio (in- qua finio) *si Christus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sūt: & si pro omnibus mortuus est, superest, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* & hoc erit felix, faustum fortuna- tumq; vivere pascha.

S. 7.

Felix pascha vivit, qui lucrū suū non appetit.

S. Gregor. l. 1. Pasto- ral. c. 5.

PHI.